



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno V. usque ad X.

Luxemburgi, 1748

CCLXV. Confirmatio Regularum pro MOnachis Græcis Melchitis nuncupatis
Congregationis S. Joannis Baptistiæ in Soairo in Monte Libano, Romæ
degentibus ad S. Mariæ in Domnica, quæ Ecclesia cum omnibus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75393)

tio nostro subditorum fovere inobedientiam, imo, ut etiam recrudescenti malo fortiora opponamus medicamenta, hocce presentis mandato innovamus, & denuo intimamus Decreta tum Venerabilis Capituli Generalis, tum Venerabilis Definitorii supra laudata, & insuper iubemus, ut nemo ea transgredi ultra audeat, aut comas adscitias, vulgo *Perruques* dictas assumat, sub poena suspensionis ipso facto incurrendae. Circa eos autem, qui huiusmodi comas scitatis, seu Perrucis nunc utuntur, decernimus, ut nisi eas deposuerunt intra annum a presentium intimatione computandum, simili suspensionis poenae exemplo subiacent, stricte injungentes omnibus, & quibuscumque respective Domorum Nostrarum Superioribus, ut praesens decretum in Oratorio publice legi, in libris insinuationum insereri, ac sedulo observari curent, nosque de praedictorum executione certiores faciant. Datum apud S. Antonium Viennensem die 11. Januarii anni millesimi septingentesimi trigesimali noni - N. Gasparini Abbas Generalis S. Antonii - De mandato praefati Rmi Abbatis generalis S. Boudet. Def. Secr. loco † Sigilli.

Dictam Legem sub variis pretextibus inobservatam a nonnullis auctoritate Apostolica communiti petit Procurator Generalis.

§. 2. Quoniam autem, sicut dilectus Petrus Procurator generalis nobis subinde exponi fecit, Ordinario praesentia ad regularis disciplinae mantentionem necessaria debita executioni adhuc demandata non fuit, ex eo, quod quidam ex praedictis Canonicis Regularibus, sive in hac Alma Urbe Nostra, seu in Avinionen. aliisque Civitatibus existentes, sub fictis, & ementitis, vel saltem vanis, & subilibus pretextibus caesarie huiusmodi utendi licentiam a nobis, seu nostris, & Sedis Apostolicae Nunciis reportaverint, quod cum Religiose modestiae, regularique observantiae contrarium, tum nihil saepius nihilve strictius tum a Sacris Canonibus tum per Concilium Tridentinum, ordinisque praedicti statuta praecipuum existit, dedecetque viris regularibus eo uti ornamento. Proinde dictus Petrus Procurator Generalis Ordinationem praedictam per Nos confirmari, ac in praemissis opportune indulgeri, providerique per nos plurimum desideret.

Eam itaque confirmat Clemens.

§. 3. Nos ipsum Petrum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus suo, & eorundem Abbatis Generalis, & Definitorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praesentam Ordinationem a memorato Nicolao Abbate Generali de unanimi dictorum Definitorum voto, & assensu, ut praefertur, factam cum omnibus, & singulis in ea contentis auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robor adiuicimus, omnesque, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dicta auctoritate supplemus, & sanamus, necnon quascumque licentias, & facultates gestandi Caesariem praedictam per quoscumque dicti Ordinis Canonicos Regulares tam a Nobis, quam a Nostris, & Sedis praedictae Nunciis, seu a quibusvis aliis sub quavis causa, ratione, & praetextu obtentas, & pro tempore obtinendas, per praesentes auctoritate, & tenore praedictis annullamus, cassamus, & irritamus, viribusque, & effectu evacuamus, ac annullatas, cassatas, & irritas, ac nullius roboris, & momenti fore, & esse declaramus.

Sicque in perpetuum praecipit observari.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas, & in eis contenta quaecumque firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad

quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sique in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarium Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & d. Sedis Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. Septemb. 1739. Pontificatus nostri Anno X.

Dat. die 9. Sept. 1739. An. X.

Confirmatio Regularum pro Monachis Graecis Melchitis nuncupatis Congregationis S. Joannis Baptistae in Soairo in Monte Libano, Romae degentibus ad S. Mariae in Dominica, quae Ecclesia cum omnibus dependentiis eidem conceditur.

CCLXV.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

SOL Justitiae Jesus Christus Fidei nostrae Auditor, & consumator, qui sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eos, atque portavit in humeris suis, Gallinae quoque similitudinem congregantis sub alas pullos suos assumere voluit, inter praecipua divinae caritatis ornamenta Catholicae Ecclesiae Sponsae suae legata hoc praeceteris in sine commendare dignatus est, ut tanquam communis omnium fidelium mater ex universis, quae sub Caelo sunt, nationibus filios ad ipsius sinum accurrentes amantissime exciperet, ac fovaret. Ea propter Romanae Ecclesiae Summi Pontifices Praedecessores nostri, quos suos in Terris Vicarios usque ad consumationem Saeculi constituit Pastorum Princeps, ejusdem exemplis ea, qua decet, veneratione semper obsequentes, non solum Populos e remotissimis, ac distitis Regionibus ad omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram venientes benignissime complexi sunt, verum etiam in omnes orbis Terrae partes Apostolicos viros, qui undique conquirent, allicerent, atque ad ipsam deducerent filios, mittere consueverunt. Nos autem quibus nullum est jucundius solatium, quam, ut Romanae Ecclesiae per spirituale connubium Nobis desponsae, eos etiam demus filios, qui licet alibi nati, hic tamen instituti, ad fratres suos communi matri conciliandos aliquando pergant, nunquam omisimus, quin laudatissima eorundem praedecessorum nostrorum studia consecraremur.

Procurium.

§. 1. Enimvero inter alios diversarum nationum dilectos filios, quibus in hac Alma Urbe nostra, & alibi opportuna Apostolicae benignitatis comoda impertiti sumus, dilectis itidem filiis Monachis Graecis Melchitis dicti Congregationis Sancti Joannis Baptistae in Soairo in Monte Libano, qui e Phoenicia, sive Syria Romam appulerunt,

Ecclesia S. Mariae in Dominica Monachis Soaritis data.

Ecclesiam

Ecclesiam Sanctae Mariae in Dominica, seu Dominica vulgo della Navicella de dilecti filii nostri Nicolai S.R.E. Presbyteri Cardinalis Coscia nuncupati ejusdem Ecclesiae Titularis consensu, die 23. Julii anno 1734. concessimus. Ecclesiae vero adjectarumque eidem parvarum adium, rerumque Sacrarum, & prophanarum possessionem illi die 29. ejusdem mensis, & anni adierunt.

Regulas ii sibi constituerunt.

§. 2. Interea temporis nonnullas sibi Regulas pro debita juxta eorundem Institutum regularis disciplinae observantia praescriperunt, quas cum dilectus pariter noster Ludovicus S. R. E. praefatus Presbyter Cardinalis Belluga nuncupatus accurate perpenas probasset, Apostolicae etiam auctoritatis nostrae confirmatione dignas existimavit, earundem autem tenor est, qui sequitur videlicet.

Regulae pro Monasterio S. Mariae in Dominica Monachorum Graecorum Melchitarum Congregationis Sancti Joannis in Soairo nuncupatae.

Monachi post studia parati debent esse ad obeundas Missiones.

§. 3. I. Cum hoc Monasterium S. Mariae in Dominica a Sanctissimo Domino nostro Clemente XII. Pontifice Meximo, ad propagandam, conservandamque Religionem Catholicam Romanam apud Melchitas Graeci Ritus in Syria Monachis Catholicis ejusdem Nationis Congregationis S. Joannis in Soairo concessum sit, dabit operam ejusdem loci Abbas, ut ex Monachis, quos de familia perpetuo habere debet, nonnulli Religiosi ad literarum studium deligantur, qui eo completo, prompti, paratique sint ad eas Missiones obeundas, ad quas illos S. Congregatio de Propaganda Fide mittendos judicabit.

Qualitates requirendae in Monachis Romani ab Abbate Generali mittendis.

§. 4. II. Oneratur conscientia Abbatis Generalis, ac Romam mittat, nisi Monachos jam profectos, singulari pietate ornatos, moribus integerrimis praeditos, & optima corporis valetudine instructos: ii vero, qui ad studia erunt designati, nec sint aetate minores annis duodeviginti, nec majores annis quadraginta. Omnes praeterea debent, vel esse Sacerdotes, vel ad Sacerdotium aetate a Sacris Canonibus praescripta, hic in Urbe ab Episcopo Graeci Ritus promoveri.

Unus ex Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide huic Monasterio datur in Protectorum.

§. 5. III. Unusquisque dimissorias Abbatis Generalis secum deferre teneatur, quae statim Eiusdem Dño Protectori erunt exhibendae. Is autem semper erit unus ex Cardinalibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, cujus directioni, ac regimini tam Monachi, quam Monasterium praefatum S. Mariae in Dominica subiacent.

Juramentum a Monachis studentibus praestandum.

§. 6. IV. Simul ac Romam pervenerint, expleto mense spiritualibus exercitiis, decem, vel octo dierum spatio diligenter incumbant: quibus peractis, qui ad studia sunt destinati, coram Abbate juramentum praestent juxta formulam hic appositam, exhibendum postea in proprio Autographo Sacrae Congregationi de Propaganda Fide. -- Ego N. N. Monachus professus Congregationis Monachorum Graecorum Melchitarum S. Joannis in Soairo nuncupatae juro, & promitto in manibus R. P. N. N. Abbatis Monasterii S. Mariae in Dominica, me ab hoc Monasterio non discessurum neque discedere curaturum mediate, vel immediate per me, vel per interpositam personam, nisi ex legitima causa admittenda ab Eiusdem, ac Rmo Dño Cardinale Protectore. Insuper pro fide Catholica propugnanda ad eum locum sine repugnantia me iturum, ad quem a Sacra Congregatione de Propaganda Fide destinatus fuero. Sic me Deus adjuvet, & haec Sancta Dei Evangelia.

Tempus morae per singulos Monachos in hoc Monasterio faciendae.

§. 7. V. Tam studentes, quam ceteri Monachi ultra octo annos in praedicto Monasterio morari non poterunt. Quodsi aliqua urgeat necessitas, & ratio exposulet, ut aliquis eorum vel perpetuo, vel ad aliquod certum tempus, ultra octo illos annos, moretur, facultas omnino ab Eiusdem Protectore petatur, excepto Abbate, cujus mora in hoc Monasterio, vel regressus in Syriam a Generali Abbate dependet.

§. 8. VI. Omnes sint subjecti Abbati Generali in Syria residenti, itemque Abbati, qui ab eodem in praedicto Monasterio constituitur. Abbas autem ad hoc Monasterium destinatus patentes suas literas Eiusdem Protectori exhibebit. Nec Abbati vero, nec aliis liceat aliquem Monachum in Syriam, nondum completis octo annis, absque facultate, & consensu Eiusdem Protectoris dimittere.

Cui Monachi, & Abbas subjecti esse debeant.

§. 9. VII. Omnes diligenter observent Regulas, & Monasticas Constitutiones, quae apud reliquos ejusdem Congregationis Monachos Graecos Melchitas in Syria vigent, & solent observari. Praeterea servent Ritus Graecum a S. R. E. approbatum juxta Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, tam quoad Sacram Liturgiam ac divina officia, quam quod jejunia.

Regulae, & Ritus imbi observandi.

§. 10. VIII. Monasterii Abbas Monachos de rebus omnibus necessariis provideat, & in iis, quae ad victum, & vestitum spectant, quoad fieri poterit, consuetudinem ceterorum Syriae Monasteriorum sequatur.

Cura Abbatis de Monachis.

§. 11. IX. Docentur Monachi praeter linguam Arabicam, & Graecam, etiam Superiores scientias, videlicet Dialecticam, Philosophiam, ac Theologiam tam Moralem, quam Polemicam. Quod si contingat, ut aliquis idoneus ad linguam latinam habeatur, permittat Abbas, ut ille in Monasterio ultra annos praescriptos, alterum annum, vel duos etiam commoretur, habita tamen Eiusdem Protectoris facultate.

Studia, quibus incumbere debent.

§. 12. X. Lectiones tum linguarum, tum scientiarum in publico loco sunt habendae per quinque dies qualibet hebdomada, exceptis diebus festis, necnon vacationibus, quas I. n. Protector describit in Catalogo jubebit; horis quidem antemeridianis per horam cum dimidio; horis vero pomeridianis per unam horam: ita tamen, ut horarum canonicarum in Choro ab omnibus simul pensum quotidianum persolvatur.

Methodus Studiorum praescripta.

§. 13. XI. Prohibentur Lectores, & Studentes vel se se quotidianis lectionibus eximere, vel domo diebus sibi ad studium statutis, sub quocumque praetextu, vel causa exire, nisi post completas lectiones, absolutasque ceteras exercitationes die illa peragendas. Primo Monasterii tamen necessitate permittitur Abbati Sacerdotes studentes ad Sacram Liturgiam celebrandam extra domum destinare ad summum duos per hebdomadam, ita ut in sequenti alii duo primis succedant.

Tempore Lectionum domo egredi nemo debet nisi exurgentibus necessitatibus.

§. 14. XII. Studentes officiis distractivis non onerentur, ut puta Procuratoris, Cellarii, & similibus, quae studiis literarum obesse credantur.

Studentes officiis distractivis non onerandi.

§. 15. XIII. Quolibet semestri publicum habeatur examen circa cujusque studentis profectum coram Abbate, ceterisque Monachis Sacerdotibus: Semel in anno Eiusdem Protector una cum R. P. D. Secretario Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, vel hic solus una cum aliquo linguae Arabicae, & Graecae perito, necnon scientiarum, quibus Monachos operam dare contigerit, visitare Monasterium dignetur, ad expiorandum studentium progressum, atque Monachorum statum agnosendum.

Visitatione Monasterii per Eminentissimum Protectorem, & Secretarium S. Congregat. de Propaganda faciendae.

§. 16. XIV. Omnibus diebus Dominicis singuli studentes per turnum in publico Monachorum Conventu concionem, sive Catechesim, vel solutionem alicujus casus conscientiae, aut difficultatis ex Theologia Polemica habeant.

Quolibet die Dominico habenda Catechesis.

§. 17. XV. Completis annis octo, nulla interposita mora, Monachi studentes cum consensu Eminentissimi Protectoris, in Syriam ad Abbatem Gener. transferrantur; illosque idem Abbas generalis in illo Monasterio collocabit, prout magis expedire in Domino judicabit.

Completo Studiorum cursu Monachi in Syriam transferrantur.

§. 18. XVI. Peregrini Graeci Melchitae, qui ex Syria Palestina, & Aegypto ad Urbem, sacra loca visitaturi, accedunt, juxta religiosam hospitalitatis regulam ad triduum excipiantur.

Hospitalitas servanda.

1739.
Approbatio
Regularum
per Card.
Belluga.

§. 19. Nos infraſcripti Regulas iſtas Monachis Græciæ Melchitis Congregationis S. Joannis Baptiſtæ in Soairo nuncupatæ apud Eccleſiam S. Mariæ in Dominica habitantibus præſcriptas, diligenter, accurateque perpendimus. Cumque nihil continent, quod orthodoxæ fidei, bonis moribus, aut diſciplinæ monaſticae adverſetur, dignas judicamus, quæ literis Apoſtolicis confirmentur. In quorum fidem hac die 3. Auguſti 1739.

Ludovicus Cardinalis Belluga.

§. 20. Quoniam Monachi prædicti nobis nuper exponi fecerunt, ipſi prædicta omnia, & præſertim Regulas, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ munimine corroborari ſummopere deſiderant: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut non ſolum ſibi in præmiſſis opportune providere, verum etiam emolumenta eidem Eccleſiæ addicta ſub titulo ſimplicis Beneficii, ſeu Canonatus dilecto pariter filio Franciſco Clementi Ceccarini Preſbytero collati, & per eum de præſenti poſſeſſi ipſi poſt ejuſdem Franciſci Clementis obitum nunc pro tunc in perpetuum assignare de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Ipſi Monachi eas confirmari petunt.

Præſtat Pontifex, & Monasterio unit Beneficium ſimplex alias in eadem Eccleſia etc.

§. 21. Nos ipſos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti, aliſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati conſeſſionem memoratæ Eccleſiæ S. Mariæ in Dominica, ſeu Dominica eidem Monachis Græciæ Melchitis de conſenſu dicti Nicolai Cardinalis & Titularis cum omnibus, & ſingulis rebus, & ſuppelleſtilibus tam ſacris, quam profanis in ea exiſtentibus, ædiumque Eccleſiæ prædictæ annexarum, & connexarum, nec non poſſeſſionem præmiſſorum omnium a Monachis prædictis captam, & Regulas præſertim auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet inter venerint, ſupplemus, & ſanamus, dictosque Monachos donec, & quoſque ibidem remanſerint, & Eccleſiæ prædictæ inſervierint, in locum ejuſdem Franciſci Clementis, quoad poſſeſſionem præſentium ſimplicis Beneficii Eccleſiaſtici, ſeu Canonatus nuncupati dictæ Eccleſiæ annexi poſt Franciſci Clementis prædicti obitum in omnibus, & per omnia auctoritate, & tenore prædictis ſubſtituimus & ſubrogamus. Ceterum volumus, ut fructus, redditus, & proventus dicti Beneficii, donec, & quoſque ipſe Franciſcus Clemens vixerit, illi perſolvantur, & Monachi prædicti, non niſi poſt obitum hujusmodi, ſeu renunciationem, aut ceſſionem Beneficii hujusmodi per memoratum Franciſcum Clementem ad eorum favorem faciendam, dicti Beneficii poſſeſſionem apprehendere, illiſque honorum, ac dictorum fructuum, reddituum, & proventuum adminiſtrationem ſuſcipere, gerere, & exercere poſſint, & valeant, nec alicui licitum ſit poſt obitum Franciſci Clementis prædicti in illo ſe ingerere, ſeu de illo diſponere.

Præſentium Literarum firmitas.

§. 22. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaciſſimas exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniffime ſuffragari, & ab eis reſpectively inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quocumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolicæ Auditores, judicari, & diſſiniiri debere, ac irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his a quoquam qua-

vis auctoritate ſcienſer, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 23. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit pia memoriae Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliſve Apoſtolicis, ac in Universalibus, Provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac dictæ Eccleſiæ, & Beneficii etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores, præſentibus pro veris, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 14. Septembris 1739. Pont. noſtri Anno X.

Derogatio contrariorum.

Dat. die 14. Sept. 1739. An. X.

Confirmatio nonnullorum Decretorum pro Collegio Anglorum nuncupat. de Urbe.

CCLXVI.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

Apoſtolica hæc Sancta Sedes, ut quales ad Animarum ſalutem, & Dei gloriam Chriſti Miniſtros, & Diſpenſatores Miniſterios Dei optat, tales ſibi formare integerrimos, atque Chriſtiano Populo exhiberet, in Tridentina Synodo ſtatuum curavit, ut in omnibus Eccleſiis Cathedralibus, ubi reditum, locorumque conditio, patiebatur, Adoleſcentium Collegia, ſive Seminarium, ex quibus experientia Magiſtra compertum erat, quanta Catholicae Eccleſiæ utilitas exiſtiſſet, inſtituerentur, atque inſimul ratio, qua erigantur, eadæque Eccleſiaſticiſſimis Inſtitutis erudiantur, conſultiſſime traderetur.

Quare ſtatuta in Concilio Tridentino ſeminariorum erectio.

§. 1. Hinc Pius IV. ſe. re. aliique ſubſequentes Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri, ut ceteris Antiquiſſimis exemplo præirent, ac faciem præferrent, quamplurima in hac Alma Urbe præſertim, atque alibi a fundamentis excitata tum pro omnium indifferenter, tum pro nonnullarum ſeorſim Nationum dumtaxat commodo Collegia, & Seminarium, atque inſtructa ſaluberrimis etiam legibus, ac regulis communiter ſtuduerunt. Quoniam autem omnia ſanctiſſime conſtituta, niſi advigiletur, ut eadem quo ab initio ſtatuta ſpiritu, atque iſdem deinceps, quibus dum primus in virtutibus proficiendi ardor ſervebat diſciplina ſtudiis, ſervata ſunt, in poſterum cuſtodiantur, lapſu temporis, ſenſim in deſuetudinem abire conſpiciuntur, ut non ſolum ſarta, tactaque ſemper conſiſterent, verum etiam ſtabiliori obſervantia firmarentur, iidem Prædeceſſores noſtri conſueverunt, nonnullos interdum deputare diligentiffimos Inſpectores, qui Collegia, ſeu Seminarium hujusmodi etſi legum, regularumque præſcriptarum obſervantiſſima adcentes, abuſus, ſi qui forte irrepſiſſent, tollerent, novis, quas opportunitas, ac ratio ſuaderent indicendis, legibus collabentem diſciplinam inſtaurarent, & quocumque ad virtutum incrementum proficua, & magis neceſſaria perſpexiſſent, præſcriberent, præciperentque.

Aliorum exemplo diſſerſa Nationum Collegia a Pontificibus conſtituta, & prohorum Virorum viſitationi commendata.

§. 2. Nos vero luculentiffimis eorumdem Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiiſ inſiſtentes, quantum cum Domino potuimus, noſtras quoque hanc in rem partes conferre non omiſimus, ac poſt-

Duobus Cardinalibus demandata Collegii Anglicani de Urbe viſitatio.

quam